

Phyllis in exemplo est, quantum natura valeret
 Corpore fingendo pulchro: miserabile visu,
 Illam quam votis oppugnet turba procorum;
 Qua stat, vel vadit, circumstant siue sequuntur,
 Felices nimium, quibus huc accedere fas est.
 At tales hominum sunt res, constantia nusquam:
 Omnes adspectu tandem satiantur, et omnes
 Purpureis optant vocem prodire labellis,
 Diuinae mentis diuino in corpore signum.
 Iam mouet os, omnes arrectis auribus adstant:
 Hoc negat, illad ait Phyllis, dulcisque cachinnus
 Vnum quodque eius Nego concomitatur et Ajo;
 Amplius extorquet quidquam de Phyllide nemo.
 Tristis abit, Veneri quod cum prudente Minerua
 Tam male conueniat, numquam rediturus amator.
 O vtinam Phyllis tacuisset, forte nouus quis,
 Qui statuam arderet sine voce et mente futurus
 Pygmalion secum junxisset Phyllida mutam!

At cur, si linguae, quaeso, tam plumbeus vsus
 Phyllidis eiecitque procos solamque reliquit,
 Chloris, inexhausto verborum fonte puella,
 Alget, et annorum suspirat virgo triginta?
 Pauper an informis caret obsidione procorum?
 Nil horum est; nam forma placet, tantosque sub urbem
 Fundos Chloris habet, quanti comedonibus omne
 Aut tribus aut quatuor possent satis esse per aeuum.
 Dicam quod res est: rixosae verbera linguae
 Quisque timet, Chloris nisi miserit hocce flagellum,
 Post alios annos fortasse triginta futura est
 Non cum dimidio terrarum nubilis orbe.

Naturae